

119

talibus inureretur censuris. Ergo dicendum est, non est necessariam definitionem ex Cathedra, quae reddat sententiam Immaculati Conceptus certani certitudine infallibilis veritatis. Hæc fundamentalis ratio comprobatur.

Primo. Definitio alicujus propositionis ex Cathedra reddit contrariam erroneam, & falsam: sed hucusque Pontifices veruerunt hoc posse dici de hac propositione, Beata Virgo fuit in peccato originali concepta: ergo non est necesse, quod Sancta Sedes definiendo Virginem fuisse sine peccato originali conceptam declaret sententiam contrariam erroneam, & falsam.

Secundo. Tunc quando Pontifices in Constitutionibus locuti sunt de Conceptione Virginis, non duxerunt necesse illam tunc definire: ergo nec nunc; quia nihil de novo emersit, ut sit necesse hodie definire, quod non fuit ante definitum.

Tertio. De illis veritatibus necessariæ sunt definitiones ex Cathedra, quæ sunt credendæ de necessitate salutis: sed Mysterium Conceptionis, ut habemus in exordio Bullæ Pii V. supra enuntiatæ, non est de illis dogmatibus, quæ cordem credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium sit: ergo non est necessaria ejus definitio ex Cathedra.

Quarto. Sententia, quæ necessario est ex Cathedra definienda, debet esse conformis Sacrae Scripturae, vel traditioni Patrum: haec enim sunt regulæ definitionum infallibilis veritatis: sed sententia de Immaculato Virginis Conceptu non est expresse conformis Sacrae Scripturae; quia auctoritates, quæ in illius favorem adducuntur, in sensu litterali hoc non exprimunt, sed detorqueri debent ad sensum accommodatum, qui non est regula definitionum Ecclesiae: nec est traditioni conformis; quia de hoc Mysterio primo dubitatum est, & in primis Ecclesiæ saeculis, a quibus traditio oriatur, altum fuit silentium de Virginis Conceptione: ergo definitio, quæ petitur, necessaria non est.

Quinto. Quamvis Pontifices, qui hucusque ediderunt Constitutiones favorabiles Mysterio Conceptionis, habuerint